



VIRIS DOCTIS

LITERARUMQUE CULTORIBUS

VLRICUS FRIDERICUS KOPP

HASSUS CASSELANUS.

MANNHEMII MDCCCXXIII,

TYPIS HOSPITII CIVICI.

Οὐ δεῖ διαβολῆς καταφρονεῖν οὐδ' ἂν σφόδρ' ῃ
Ψευδής· ἐπίςαντ' αὐξάνειν αὐτήν τινες
δἰ οὓς φυλάττεσθαι τὰ τοιαῦτ' 'ορθῶς ἔχει.

Μένανδρος.

Palaeographiae orientalis primas lineas primus adumbrans facile intellexi, non posse eam disciplinam, et nasci, et illico perfectam evadere. Neque dignam commentationem meam existimavi, quae seorsum ederetur; sed alii libro (»*Bilder und Schriften der Vorzeit. II.* 95 — 400«) inserendam curavi. Cui quum praeter spem contingeret, ut Germaniae etiam fines transiens benigne exciperetur; semel atque iterum ac saepius poenituit, me patrio sermone illam scripsisse. Quod non fecissem, nisi propositum mihi fuisset, magis expolitum et uberius explicatum opus olim emittere, speranti fore, ut consilium approbantes viri docti et rei periti me de erratis et

men-

mendis, quae in libellum forte irrepserint admonerent.

Neque mea me spes fefellit. In eruditorum enim diariis (*Goetting*. 1821. *p*. 1409. *Jenens*. 1822. *p*. 441. *Heidelberg*. 1822. *p*. 530) aequa censorum judicia legi et grato animo accepi, ita ut, laudibus quidem illorum indignum me sentiens, monita magis respicienda esse, censerem, quippe quae non mediocri laboribus meis forent adjumento.

Doctos igitur viros artisque peritos iterum iterumque rogo, ut velint notata sua humanissime mecum communicare. Permagni enim refert, diversarum opinionum rationes audiri et perpendi, quas graviores utique modestus et aequus quilibet scriptor suis etiam lubens praeponat necesse est. Mihi quidem eam legem scripsi, non ut temere, sed exhibitis semper argumentis, ab aliis dissentirem; nec minus, ubi quis

meam

meam sententiam impugnasset, idem ego singulas ejus rationes excuterem. Quam unam veri inveniendi viam esse omnes mecum sentient critici.

Penes hos etiam sit judicium de controversia, quam nunc habeo, maxime vero de perversa disputandi ratione ab adversario meo adhibita, qui, quum veris argumentis destitueretur, conviciis et calumniis usus est, malam causam pejus etiam defendens.

Exstitit enim malevolus mihi invidusque vituperator, Antonius Theodorus Hartmann, qui, Asiam Rostochii in cubiculo pervagatus, inflato et Asiano genere dicendi de promotis et promovendis orientalium literarum studiis fabulatus est magis, quam reapse ea promovit. (Non mea sunt, sed doctissimi cujusdam viri verba, quae mox afferam). Atque eo tandem crevit hominis audacia, ut parum memor illius Horatiani

„Sumite

„Sumite materiam vestris, qui scribitis
aequam
Viribus"

in palaeographicae artis fines irrumpens et intra eos vagus errans (in libro »*Wanderungen durch die Gebiethe der Asiatischen Literatur s. Untersuchungen über Asiatische etc. Denkmäler mit* palaeographischen etc. *Erläuterungen*«) multus esset et ineptus. Scriniis enim Olai Gerhardi Tychsen expilatis, quae, ab hoc in schedis notata, ne intellexerat quidem, sua faciens (*v. l. mei p.* 232. 260), palaeographus videri voluit. Quod licet probe vidissem, multa de palaeographicis rebus ab eo perverse dicta diu tuli: sed incredibili artem simulantis et affectantis temeritate et pervicacia tandem patientia victa est. Nec temperare mihi potui, quin exclamarem: aut sit palaeographus verus, aut certe sciat, se palaeographum non esse. Quae igitur temere et imperite ab eo prolata erant, tot esse errata, quot verba, nullo quidem negotio

gotio

gotio innumerabilibus in locis (*p. m.* 99. 110. 117. 119. 121. 125. 133. 140. 145. 178 — 180. 182 — 184. 186 — 187. 188. 191. 192 — 194 — 198. 200. 205. 207. 210. 219. 224. 225. 230. 232. 240. 243. 245 — 247. 249. 253. 254. 256 — 260. 263. 264 — 267. 269. 285. 302. 357. 363) demonstravi, ultro (*p. m.* 185) eum excitans, ut quae forte inique in ipsum animadverterim, indicaret et ostenderet. Quod quum haud fieri posse sentiret; multa a re aliena fabulari, meque conviciis consectari, quam ad argumenta sibi opposita singulatim respondere maluit.

Juvenem me haud satis imbutum fuisse cognitione linguarum veterum, (*P. I. p.* 197) ingenue fassus sum. Haud tamen displicuit neque Goettingensibus (*diar.* 1817. *p.* 1552), neque Jenensibus (1817. *n.* 190. *col.* 130), Latina dictio viri, quem tot annorum curriculo rei publicae curam egisse constabat. — — Senectute appropin-

quante

quante operam me demum dedisse linguis orientalibus discendis, (I, *p.* 198. 199) fassus sum. Eruditorum nemo id mihi vitio vertit, quin Goettingenses etiam (1821. *p.* 1410) conatus meos laudarunt. — — In explicatis Phoenicum et Palmyrenorum inscriptionibus auctoritatem meam prorsus esse nullam, eoque majori diligentia perpendendas interpretationes a me profectas, quo magis manca mea linguarum orientalium cognitio esset, (I. 199) disertis verbis ultro criticos admonui. Haec ego. Nonne omnes igitur eruditi et aequi judices jam censeant, illiberalis, imo nequam hominis esse, illa a me verecunde et modeste dicta mihi objicere? At vero iste objecit (in libro barbare inscripto »*Biblisch-Asiatischer Weg-Weiser p. CXCVIII. CCIII*«) ad verbum repetens omnia illa, quae ipse confessus eram; sua vero de literis merita (*p. XII. sequ.*) fusius nobis (*ipse* scilicet!) enarrans. Cujus quidem prorsus dissimilis ego, tutum a calumniatoribus me existimans verissimis Cicero-

cero-

ceronis (*pro Pl.* 25) verbis: »Omnes artes in iis reprehenduntur, qui quum professi fuerint, satisfacere non possunt; non in iis, qui abfuisse ab istis studiis, *confitentur*«.

Neminem quidem fugit, molestum esse in palaeographia docenda negotium, literarum figuras verbis describere, ita ut interdum dicendum sit de cruribus literae A, de cauda literae Q, de cornibus vel auribus literae Y, aliisque hujus generis. Sed apud sapientes non erat unquam, quod de hisce minutiis me excusarem. Quarum dictionum nunc unus vituperator est Hartmann, qui, quum id sibi prospere non succedere sentiret, ut de rebus ipsis disputaret, verborum magis auceps, rationem illam figuras literarum in partes describendi stulte risit, prorsus immemor, non nisi *vere* eruditis me mea scripta dicasse, minime ineptis *), qui flosculorum anxie quaesitorum

sar-

---

*) Profecto ineptae sunt dictiones: „Bücher aus England

sarcinas in oratione putida deponunt, et, sermonis elegantiam invita Minerva affectantes, praeter verba, afferunt — nihil! »Si alterum sit optandum«, inquit Cicero (*orat. III.* 35), »malim indisertam prudentiam, quam stultitiam loquacem«. Quodsi improvidus censor me adducere voluisset, ut in describendis partibus literae abstinerem nomine *aurium*, quarum tres me in uno charactere reperiisse (*p. CCVI.*) cum risu cavillatur, profecto non eo contra me scribendi genere uti debebat, ex quo ubique fere eminent *auriculae*, egregio illo carmine olim celebratae, — *iniqui* scilicet *judicis!*

At vero omnes cavillationes tacuissem, et istum, tanquam latrantem canem, praeteriissem, si non atrocissimam conviciis suis addi-

land *herüber locken*, — Sinn der Inschrift *erspähet* — *gedolmetscht* — aliaeque hujus generis!
„Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo".

addidisset *calumniam.* Affirmare enim (*p. CCV*) ausus est, viros venerandos Hugium et Paulum a me esse increpatos, et opiniones eorum *absurdas* dictas! — Quae quam fraudulenta et malitiosa sit verborum interpretatio, ad unum omnes videbunt, qui integrum libri mei locum (*Bilder u. Schr. I.* 282) legerint. Sententia enim prorsus contraria est ei, quam mihi affingit. Aut fuerit igitur iste (— theologiae doctor!) tam insipiens et imbecillus, ut, quae luce clariora sunt, non intellexerit: aut mendax et scelestus, qui, odium auctoris apud lectores excitaturus, manifestam sententiam detorquendo vi sua fraudaverit. Tertium non datur, scriptumque manet inexcusabile verbum. Deliberet igitur Hartmann, utro nomine audire malit? doctorisne *imbecilli*, an theologi *mendacis et scelesti?*

Saepius vidimus accidisse, ut, qui parva nescirent, magna profiterentur. Pariter iste, — nihil curans oratorem, qui (*pro Clu-*

ent. 18) »profiteri«, inquit, »quod non possit impleri, *impudentiae* est«, — nunc nobis (*p. CCI*) minatur, »se introductionem in palaeographiam orientalem additis tabulis aeneis editurum« (ne scilicet detecta jam sua artis ignorantia illico personam palaeographi exuere videatur). Sed non est, quod nobis timeamus. Sicut enim olim typis orientalibus se carere dicebat (licet in eodem libro Hebraici, quos ad explicandas inscriptiones Palmyrenas sufficere, nemo non intelligit, jam adhibiti essent (*p. m.* 200); — sicut ne nomina quidem literarum ei succurrebant (*v. p. m.* 197. 209. 245. 259. 260), ut suam palaeographicae artis peritiam ostendere posset; ita etiam tabulas aeneas olim defecturas esse speramus, qua non edendi operis promissi causa, ab eo cupide arrepta, confidimus fore, ut eruditorum virorum otio parcatur. Quod quidem opus si praeter spem aliquando prodierit, mea ego vindicabo vel vindicabunt manes; posterique ponderabunt remansura — si qua fuerint.

Sed

Sed quid ego longiori oratione commemoro garruli hominis commenta? Cujus apud eruditos auctoritas nulla unquam fuit, adeo, ut Gesenius (*diar. Jenens.* 1822. *n.* 118. *col.* 442) mihi etiam vitio verteret, quod chartam perdiderim refellendo hominem palaeographiae omnino rudem; idemque paulo post (*col.* 460) adderet, difficillimum sibi videri negotium excusandi istius peccata: et alius vir doctus, cujus auctoritas et nomen haud minus valet, literis, mense Martio anni MDCCCXXI datis, mihi mandaret: »Was den *Wanderer* betrifft, dem es an allen paläographischen Kenntnissen gebricht, und welcher, unter uns gesagt, *auch von Philologie* mehr in *gesuchten Phrasen spricht, als darinnen leistet;* so glaube ich, dass Sie ihm durch ihre übrigens *wahrhaft* schlagende und höchts treffliche Polemik fast zu viel Ehre angethan haben«. Quibus addere possum, quae Goettingenses (1821. *p.* 1410. 1823. *p.* 1631) et Heidelbergenses (1822. *p.* 539) notarunt.

tarunt. Sed novissimam etiam epistolam, XIV. Kal. Octbr. a viro praeclaro ad me scriptam, paucis ut commemorem, in ea praeter alia haec leguntur: »Dass Hartmann, da er in der *Sache* nicht viel machen konnte, zum *Spott* seine Zuflucht nahm, ist — das gewöhnliche Verfahren!« *) O! miserum imbecillorum praesidium.

Sed hoc imprimis erat, quod asperaret calamum meum. Acerbiora igitur si qua videantur in adversarium dicta; cum contumeliis ejus et conviciis comparentur: ita fortassis leniora etiam videbuntur. Haud enim ego is sum, qui arroganter et stulte mihi persuadeam, errare me non posse: ne severitate quidem animadversionis offendor, modo ista ad rem pertineat. At vero cavillationibus et contumeliis, quae semper sunt ab re aliena, profecto nemo unquam impune me aggredietur!

Haud

*) Omnes has literas religiose servabo, ostensurus eas probis et integris viris, modo, auctorum nomina se nunquam prodituros esse, fidem fecerint.

Haud immerito reprehenduntur Germani, quod in controversiis, quae de rebus literariis moventur, eruditi nomen decusque minuant conviciis utentes. Quod nunquam non indicium malae causae esse, inter omnes constat, quandoquidem quibus ejusmodi telis armisque certandum sit, eos veris argumentis prorsus destitui, facile colligitur. Attamen partem culpae residere arbitror in ipsis literatorum societatibus. Harum enim officium et negotium esse videtur, in causam inquirere, et ante omnia rem ipsam perpendere, rationesque examinare, quibus uterque litigantium usus sit, ad sententiam suam defendendam. Quorum qui rem et argumenta sibi opposita praeteriens, vel ad singula non respondens, *adversarium ipsum* cavillationibus et conviciis aggredi ausus fuerit; eum ex societate eruditorum, quippe quorum nomen et dignitatem contaminarit, expellendum esse censeo. Quod dum fiat, quo jure, quaeso, reprehendamus eum, qui ad par

pari

pari referendum promtus sit et paratus? Quotus enim quisque reperietur, qui, si qua sit in eo ulciscendi vis, a quolibet fatuo et inepto se cavillationibus lacessi aequo animo patiatur?

Haec ego Vobis, Viri Docti et Eruditi! ut — pro ea, qua omnes probi et integri nihil antiquius, nihil venerabilius, existimant, aequitatis et justitiae laude, — sua cuique tribuere atque eorum, qui Vestro patrocinio digni videantur, existimationem tueri velitis.

